



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 12. De Taurinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

nomen. Certè Plinius lib. 3. cap. 17. ait Læuos & Mariscos Ticinum urbem, *Pauie*, condidisse.

FINES Diuiduntur *ab Oriente* Guniâ Fl. *la Gogna* à Libiciis; à *Meridie* Pado à Liguribus; *ab ortu* Lambro *Lambro*, vel *di Monza* à Cenomanis; à *Septentrione* ab Insubribus.

N V M. 12. *De Taurinis.*

NOMEN & ORIGO. Nomen traxisse videntur à voce Celtica *Taur*, quâ significari Alpes suprâ inuimus, vnde omnes populos Inalpinos contendit olim dictos esse Tauriscos Cluuerius in suo Illyrico. Certè apud Stephanum nostri hi Taurini, Taurisci nominantur, apud Eratosthenem Teurisci. Ligustici generis eos faciunt Lilius lib. 21. Strabo lib. 4. Plinius lib. 3. cap. 5. sed Polybius eos gentibus Illyricis accenset lib. 2. & 3.

FINES. Orgo Fl. *Orco* separantur *ab Oriente* à Libiciis, item & Pado à Liguribus, vt à *Meridie*; à *Septentrione*, & *Occidente* à Segusinis.

N V M. 13. *De Segusinis, seu de Regnis Cotij, & Ideonni Regulorum.*

COTIVS princeps, seu COTTIVS fretus latebris suis, & asperitate locorum deuictis Gallis libertate vsus est, neque paruit Romanis; donec deposito timore, & delinitus ab Octauiano in eius amicitiam receptus est, viamque strauit Gallis & Romanis per opportunam, vt intelligimus ex lib. 15. Ammiani Marcellini. Sed quando Rex appellatus est? Auctor Collectanearum historiarum apud Cluuerium, ait Olymp. 105. an. 4. à Claudio Imperatore M. Iulio Cotio, paternum Imperium adauctum esse, & tum Regem primò appellatum esse. Demum sub Nerone mortuo Cotio siue eodem, seu eius filio in formulam prouinciæ tractus ille redactus est, vt tradunt Suetonius, Sexi. Aurelius Victor & alij.

*Fines* autem eius Regni extendebantur à Segusione *suse* ad Ramam *Rame* oppidum, & à Vesulo monte, *Viso*, ad Ocelum, *Efilles*.

IDEONNI regnum coniungit Strabo cum Regno Cotij: certè per vtrumque Segusinos populos spargunt plerique. Quidam etiam Centrones populos eò referunt, quorum caput Tarentasia